

IN FUNERE
MARIAE PRIMAE

LUSITANIAE BRASILIAE ALGARBIAE

REGINAE FIDELISSIMAE

ORATIO

HABITA CORAM SACRO EE. AC RR.

CARDINALIUM COLLEGIO

IN REGALI ECCLESIA SANCTI ANTONII

DUM EI REGIO NOMINE

PARENTARETUR

A MARIO DE COMITIBUS MATTEIIS

CANONICO PATRIARCHALIS BASILICAE

S. MARIAE MAJORIS.



ROMAE ANNO MDCCCXX.

SUPERIORUM PERMISSU.

JOANNI VI.

LUSITANORUM REGI FIDELISSIMO
PIO FELICI AUGUSTO

MARIUS MATTEJUS
FELICITATEM PERPETUAM.

Majestatis Tuae Fidelissimae honestata nomine in lucem, aspectumque hominum venit Oratio, quam habui, dum in Regio Lusitanorum Tem-

plo MARIAE I. justa fuerunt Te imperante persoluta. Equidem sentio, quid mihi honoris eo die accesserit, ac spero ejus rei gloriam, ut umbra est corporis, sic futuram vitae meae comitem multo jucundissimam. Utinam tanta mihi fuisset copia, facultasque dicendi, quantam rei dignitas poscebat! Nullam certe curam, ac diligentiam praetermisi, conatusque sum pro viribus omnia. Quid autem sim consecutus, Tu pro Tua sapientia judicabis; Tuaque fretus humanitate sollicitudini mediocris hominis veniam aliquam Te daturum confido; Orationem

autem ipsam non despecturum certo scio. Quid enim vile, despectumque Tibi esse poterit, quod Te ad Illius virtutes recognoscendas vocat, cujus nomen ipsum tantam solet animo Tuo jucunditatem afferre? Nunquam ego quidem sum veritus, ne laudum Matris Tuae splendori officeret ingenii mei tenuitas. Noveram quippe ipsarum praestantiam, quo nudae illae magis, ac simplices proferrentur, eo illustrius, luculentiusque eminere: sic et gemmarum clarissimae, et maximae sua sponte nitent, atque ultro oculos intuentium alliciunt, neque aurum,

quo ornentur, neque artificis manum magnopere desiderant. Quae vero dicendi ubertas potuisset Augustissimae Matris Tuae aut miram in Deum pietatem, aut sedulam in Regnorum procuratione sollicitudinem, aut studium ad bene de omnibus merendum impensissimum clarius percensere, quam illa faciunt relicta ab Eadem, atque ob oculos omnium proposita tantarum rerum monumenta? Sed quam excelso, atque illustri in loco sita sit Genitricis Tuae dignitas, nulla ex re magis conspicitur, quam ex religione, sapientia, et liberalitate Tua, ad quam

amplitudinis, et gloriae spem cum natura Te genuisset, aluit tamen diligens Parentis Tuae cura, et firmavit exemplum. Itaque factum est, ut hi omnes, qui Tuo parent Imperio, in Te sibi videantur virtutum Illius lucem aspicere; iidemque certa sint in spe fore, ut, Te incolumi, ac florente nec praesidia, nec ornamenta desiderent, quorum ope beatissimi in otio vivant cum dignitate. Quo bono ut diutissime potiantur Lusitani Tui, cum salutis eorum omnium, tum vel maxime Tua, Regiaeque Familiae causa velle, et optare debemus.

ORATIO.

Quamquam EMINENTISSIMI PATRES ex plurimis, iisque clarissimis argumentis perspici, judicarique possit, quam prudens, ac sapiens, quam benignum, et clemens, quam religiosum, ac pium MARIAE I. Lusitaniae, Brasiliae, Algarbiaeque Reginae Fidelissimae fuerit Imperium; mirifice tamen existimo virtutum ejus effulgere claritatem ex tot, ac tam diuturnis pietatis indiciis, quibus JOANNES VI.

Parentis Suae desiderium est prosecutus. Ille enim propemodum veritus, ne debitam Matri Suae laederet observantiam, diu regiis insignibus censuit sibi esse abstinendum; cum nunquam interea destiterit domestico, publicoque luctu declarare, quantum et Ipse, et Universum Imperium praesidii, atque ornamenti obitu Illius perdidisset. Hodierno autem die quasi ad penitus abditum, latentemque adhuc animo dolorem repraesentandum, hanc Funeris pompam locupletissimo, et magnificentissimo apparatu jussit ornari, et praeterea augusta hac Sacrificii Sanctissimi religione, caerimoniaque sempiternam Matri pacem a Deo exorari; ut Ea, quam ex Patrum Suorum regno vis, et necessitas naturae deturbavit, Vestris quoque, EE. PP., sublevata precibus coelestis regni possessionem quamprimum adipiscatur. Lusitania praeterea universa, quasi cum Regis sui moerore certaret, iis gratae benevolentiae significationibus decedentem ex hac mortali statione MARIAM est comitata, ut immortalitatem, qua dignam

fuisse existimabat, Reginae suae impertiri voluisse videatur. Splendidum porro, ac decorum Lusitanis est, sic omnium studiis, ac praedicatione memoriam Ejus posteritati esse commendatam, quemadmodum ad communes omnium usus, atque utilitates uberrimi regiae beneficentiae fontes dimanarunt. Quod si quotidie fieri animadvertimus, ut, quas lacrymas aut imbecilla humanae naturae ratio, aut vis propinquitatis, ac sanguinis extorquet, nequeant ad longum temporis intervallum perdurare; Lusitanorum lacrymis, quas tam diuturnas, tamque constantes videmus esse, fateamur oportet, insignem aliquam, atque incredibilem virtutum lucem extinctam deplorari. Ego equidem tam vehementi, tamque constanti Sapientissimi Regis dolore, ac tam moesto, pioque Lusitanorum officio, ceterisque omnibus ad tristitiam, luctumque compositis ita commoveor, ut etiamsi ad leniendum communem dolorem surrexerim, doleam et ipse magnopere, arbitrerque, nunquam alias tam jus-

tam alicui fuisse causam querelarum. Sed nihilominus liberemus paulisper aegritudine animum, nosque potius ad earum virtutum splendorem intuendum convertamus, propter quas Ipsa tantam et suorum, et bonorum omnium admirationem, et lacrymas fuit promerita. Hasce ego virtutes, dum Vobis, EE. PP., breviter, ac pro exigua ingenii mei facultate exponam, Vos pro sapientia Vestra earum magnitudinem aestimabitis, momentoque suo ponderabitis.

Summus ille omnium rerum Fabricator, et Arbiter Deus, cujus *gloriam Coeli enarrant*, cujus vocibus perinde ea, quae sunt obsecundant, ut ea obediunt, quae nusquam sunt, cum ex hominibus aliquem eligit, cujus opera potentiae suae magnitudinem aliqua in re decernit ostendere, solet illum eo amplioribus bonis augere, quo graviora eidem munera cogitat demandare; ut in speciem videantur hominum ipsorum virtute fuisse administrata, quae revera propter magnitudinem necesse est uni Ejus

potentiae, et consilio referamus accepta. Quid enim? Potuisset ne ulla, licet incredibilis alicujus Feminae aut pulchritudo, aut animus Bethuliae saluti esse, vel Mardochaeo illi non solum incolumitatem, sed et decus, et honorem afferre? Atqui, cum Deus statuisset, quanta Abrahami illius sui progeniem benevolentia complecteretur, ostendere, talibus illas, quas delegit mulieres et animi, et corporis bonis esse voluit ornatas, ut felix, faustusque existeret consiliorum suorum eventus. Hanc eamdem divinae Sapientiae, et consilii rationem viderunt, experti sunt, testanturque etiam nunc Lusitani, cum MARIAM I. iis donis, ac dotibus senserunt praeditam, quorum praesidio sic potuit in latissimi Imperii luce versari, ut praestantissimam Majorum suorum tum regiis artibus, tum pietatis laudibus famam, gloriamque adaequaverit. Patrem itaque habuit JOSEPHUM I., Matrem MARIAM ANNAM VICTORIAM Philippi Hispaniarum Filiam, quorum Alter Eam prudentiae, fortitudinis, et liberalitatis exemplis

augeret ; Altera autem doceret , quae vitae ratio Matronis nobilissimis decus afferret , et dignitatem . JOSEPHUS , cum sibi virilis stirps nulla esset , videretque legum vi Filiolam unicam ad totius Regni spem servari , incredibile dictu est , quam diligenter Eam omnibus iis rebus instituendam , ornandamque curaverit ; ut Ei recte tantarum rerum moles imponeretur . Parentum studiis beata MARIAE indoles respondebat: Animum regium in puerula jam tum laudasses mitem , ut in femina , ac misericordem ; nec dimissum tamen , aut timidum ; sed erectum , impigrum , et qui in audiendis magnorum Principum laudibus , et in iis , quae aut clementer , aut fortiter facta erant ita commovebatur , ut appareret , quanta inesset Ipsi earumdem rerum aemulandarum cupiditas . Neque vero dumtaxat in regiarum aedium terminis tanta virtus concludebatur : relucebat etiam in hominum frequentia , et celebritate : sperabant boni in Illa sibi , liberis , fortunisque suis certissimum esse praesidium comparatum :

tum vero magis tanta haec fiducia confirmata est, cum sapientissimo Viro Patruo suo PETRO nupta est, quem curarum socium, atque adjutorem haberet. Aliarum feminarum laus sit viros suos dilexisse, eosque omni sibi obsequio habuisse devinctos: Ita erat instituta MARIA, ita facta, nataque, ut, cum quid deceret optimam feminam non ignoraret, in officio suo exequendo nihil omnino praetermitteret. Ergo qualis in Parentes erat pietate, Eadem in Conjuge amando semper reperta est.

Atque ut primum MARIA JOSEPHI obitu regni habenas attingere coepit, tum singulares illae, atque eximiae animi dotes, quas antea et modestia ipsius, et in Parentem obsequium veluti inclusas continuerat, ita se foras extulerant in lucem, ut Lusitania, quam praestantissimi, clarissimique Regis interitus penitus abjecerat, se erexerit, in eamque spem venerit fore, ut egregia Filiae virtus acceptam ex tanti Patris jactura calamitatem sublevaret. Quidam Estherrem aliam sibi divino consilio obla-

tam esse laetabantur, quae pro populi sui incolumitate, ac salute vitam periculis omnibus non dubitaret offerre: Deboram alii revixisse praedicabant, cujus virtute, atque prudentia in pace, et otio, summaque in tranquillitate possent consistere. Huic igitur tantae virtutum indoli, huic tam bonae, tamque omnium communi expectationi, qua MARIA ratione satisfecerit, commemorare, cum Ipsi gloriosum existimo, tum Vobis perjucundum fore non dubito.

Quotiescumque diei illius memoriam reputo, quo die Eam Regni leges ad Imperii gubernacula vocaverunt, toties Reginae aspectus solet occurrere crediti muneris difficultatem Secum tacite considerantis, et quo pacto rerum gravitati, populorum expectationi suorum, Avorumque amplitudini satisfaceret, perpendentis: Quid Mihi (ita enim Secum loquentem videor audire) quid Mihi praestandum sit agnosco, oneris gravititem sentio; sed quo Me vertam nescio: Tuam opem, tuum, Deus Im-

mortalis, praesidium exposco, tuum illud praesidium, quo Judithae affuisti, cum inermis femina, solaque Patriam suam liberatura ibat ad hostium castra, ad crudelem, indignantemque Ducem: tuum est, cujus voluntate ad hunc locum deducta sum, Me dubitantem confirmare, Me viribus majora audentem dexterae tuae vi sustinere; ut ex Mea infirmitate cognoscant Gentes, quam potenti Nos Deo inserviamus. Haec cum precata MARIA fuisset plena animi, plena consilii, plena roboris curas omnes ad crediti Sibi Imperii felicitatem comparandam adjecit, quam Sibi spectandam, omnique ratione quaerendam esse decrevit.

Ac quemadmodum sapientes, peritique Architecti, quibus insignis aliqua, conspicuoque in loco domus commissa est construenda, omnem ingenii, mentisque aciem eo convertunt, ut non solum alta, sed firma, ac stabilia fundamenta jaciantur, quibus tuto domus innixa, eam, quam illi animo complexi sunt, pulchritudinem habeat, et descriptionem: talem

sapientiam, parque consilium Reginae tantum Imperii pondus subeunti fuisse, praeclara illa declarant initia, ac veluti fundamenta, quae imprimis omnium constituenda putavit esse. Vidit scilicet pro ea, qua abundabat, prudentia, vidit, penitusque perspexit, Pacem esse omnium illustrium, utiliumque operum firmamentum: ex hac, veluti ex quodam uberrimo fonte, omnia bona effluere, ac redundare: pace constituta, regnorum felicitatem constitui: pace florente, liberales artes, quibus Imperii dignitas continetur, universas vigere; easdemque in bello, ac tumultu incultas, et neglectas jacere. Age vero et illa, quae pacis debent esse praesidia, ea nimirum, quibus alimur, quibusve populorum utilitas, commoda, atque opportunitates conciliantur, inter hostium metum, bellorumque suspicionem possunt haberi? Audebit ne a portu se commovere navicularius, qui sibi a praedone timuerit? Quo animo erit negotiator ille, qua spe arator nitetur, qui in continuo rerum suarum

discrimine versetur? Ut ergo MARIA omne rerum bellicarum periculum, omnemque formidinem quam longissime a suis finibus removeret, Hispanis amicioribus uti voluit; (1, et 2) Sardiniam Sibi conciliavit; (3) Moschos semel, atque iterum Lusitanis icto foedere devinxit. (4) Ex quibus rebus factum est, ut tum illi, qui in agris, qui in oppidis operam suam, industriamque exercebant, ab omni vicinorum impetu, inopinatoque incursu liberarentur; tum illi, qui longe a domo navigarent, neminem formidarent hostem, qui sibi aut ad alienas regiones commeantibus, aut ad patriam redeuntibus vel alicui morae esset, vel impedimento. Piratarum etiam incursus, atque rapinas prohibuit a suis, et ne hujusmodi hominum monstra mercatoribus, navibusque no-

(1) Coeptum est agi Kalendis Octobribus MDCCLXXVII.

(2) Perfecta res est V. Id. Mart. MDCCLXXVIII.

(3) Actum est ea de re III. Id. Septembr. MDCCLXXXVII., quae deinde confirmata fuit IV. Id. Nov. MDCCLXXXVII.

(4) Factum id est IX. Kal. Jun. MDCCLXXXII. V.Id.Dec.MDCCLXXXV., denique pridie Id. Dec. MDCCLXXXVI.

cerent, eos vi, armis, terrore, omnique ratione propulsandos judicavit.

Haec autem omnia, quae foris tam prudenter, tamque salubriter fuerant provisa ad terrae cultum, ad negotiatorum quietem, ad mercaturae facilitatem, ne casus aliquis unquam domi interciperet; non solum confirmavit, verum et ampliori auctoritate MARIA jussit esse (1) eos Viros, quos usu rerum, aequitate, et innocentia probatissimos egregius Pater Ejus delegerat, ut eorum labor in commercio moderando strenue, sapienterque versatus non huic dumtaxat hominum generi adderet alacritatem, sed etiam quamplurimos ad hujusmodi laborum societatem adduceret. Laetos proinde Lusitanos, bonaeque spei plenos ultro, citroque commeantes aspiceres; laetos agricolas; laetos intra fines Regni negotiatores; suae quemque industriae; sui quemque laboris; suarum quemque curarum prosperum exitum sibi pollicentem, atque expectantem: Cum interea ci-

(1) Leg. edit. Non. Jun. MDCCLXXXVIII.

ves universi in copia, ac vilitate annonae versarentur, totaque Urbs et importatarum, et asportatarum utilitate rerum, et commodis uteretur; ut nunc etiam agri fructibus, mare navibus, fora omnium rerum copia redundent. Ut vero se suis copiis Lusitani tuerentur, neque aliunde, quae apud se habere possent, magno sumptu, ac detrimento peterent; certos Homines gnavos, industriosque totius Regni Officinis MARIA praefecit; (1) atque opera, quae in ipsis conficerentur omnis vectigalis immunia reddidit, eoque jure, ac conditione esse voluit, (2) ad quam superiorum jam Principum beneficium adduxerat.

Quis autem ignorat diu in regnis pacem, ac felicitatem non posse consistere, nisi regnum illud Legum sanctitas, quasi quibusdam vinculis constrictum, septumque teneat? Atque ubi legum majestas dominetur, et vigeat, ibidem

(1) Leg. lat. XV. Kal. Sext. MDCCLXXVII.

(2) LL. edit. III. Id. Dec. MDCCLXXX., Idib. Nov. MDCCLXXXIII.; XV. Kal. Nov. MDCCLXXXVI., aliisque &c.

cives non solum aequioribus conditionibus uti, Principum voluntatem sanctam, Magistratuum dignitatem ampliorem, Judicum severitatem graviorem haberi; verum etiam mutuas hominum necessitudines, officia, juraque communia ita inter se servari, ut in ea civitate perinde vivamus, ac bene instituti liberi in privata prudentis alicujus patrisfamilias domo versantur. Quamobrem hoc quoque effecit divinae indolis Mulier, ut veteres Imperii leges religiosissime servarentur; et quas aut temporum vicissitudo, aut civilis administrationis ratio, aut aliqua et consuetudinis, et morum commutatio vel emendare, et corrigere, vel de integro sancire coegisset, eaedem per Viros summa sapientia, prudentiaque juris egregios, ita ad certa capita revocarentur, ut esset aequitatis, justitiaeque ratio expeditior (1). Verum quo majus iis rebus omnibus firmamentum, ac stabilitas adjungeretur, nunquam destitit fines suos exercitibus,

(1) Decr. sancit. prid. Kal. April., ex quo aliud ortum XVI. Kal. Sext. MDCCLXXVII.

et copiis confirmare, semperque contendit, ut peritissimi Duces, et exercitatissimi Milites adessent, quorum robore, ac virtute et hostiles incursiones repellerentur, et domesticae seditiones, si quae forte incidissent, illico reprimerentur.

In tanta tranquillitate, ac otio, in tanta rerum omnium abundantia, in tantis et legum, et armorum subsidiis artes, disciplinasque illas neglectas existimatis, quibus florentibus non solum quies retinetur, sed etiam regnorum dignitas solet existere? Adolescentes seligendos curabat eos, qui natura ac voluntate videbantur posse utilem Patriae suae navare operam, illosque in cultiores urbes mittebat, ut ex diversis locis in principem Urbem tandem reversi architectus hic nobilis, egregius hic pictor, solers alius sculptor, caelatorque, aedificiorum pulchritudine, picturis, ac signis, ceterisque id genus ornamentis regiones suas condecorarent. Talium vos consiliorum testes appello, qui nos inter adestis, vos inquam, quorum ob

oculos versati sunt tot juvenes ex Lusitania in hanc Urbem nostram profecti, in hanc optimarum artium sedem, ac domicilium; ut hic non solum pulcherrimorum operum copia, artificum excellentium praestantia ad omnem, et pingendi, et sculpendi, et caelandi, aliarumque hujusmodi artium peritiam erudirentur; verum etiam ad id quodammodo cogerentur illius Viri, a quo regebantur, auctoritate, cujus ipsi ingenium, industriamque colerent, et quaesitam meritis famam cuperent imitari. Adeo MARIA luculentissimis Patris sui vestigiis insistens, Olisiponis omni ratione amplificandae cupiditate flagrabat, ut si fieri posset, eam omnium quotquot in Orbe terrarum sunt, praestantissimarum urbium efficere voluisset amplissimam. Itaque sicubi auditum esset aut egregium medicum esse, aut acriorem naturae speculatorem, aut diligentem herbarum, plantarumque investigatorem, aut astronomicarum rerum, mathematicae, staticesque scientia peritiorem, eo magnis Reginae sumptibus adibant

ex Lusitania juvenes, quorum praestans ingenium, perspectaque industria quaesitos, acceptosque aliunde doctrinarum fructus Olisiponem transferrent.

Ad Litterarum etiam studia excitabat acres ingenio Lusitanos, et discendi cupidos MARIAE liberalitas, et accedebat eodem diligens cura, quae nunquam passa est eos aliquid ex iis praesidiis desiderare, quibus facilius, utiliusque possent harum disciplinarum cursum tenere. Bibliothecam optimis omnium scientiarum libris refertissimam patere voluit, eique talem pecuniae summam attribuit, qualis et par quotidianis sumptibus esset, et unde novi subinde prodeuntes in lucem libri compararentur. Tuam ergo, Olisipo, vere beatam MARIA I. imperante conditionem! Tuum enim Regina decus, tuam gloriam spectavit, cum ad Academiam illam animum, mentemque admovit, in qua omnis doctrinae, ac scientiae veluti palestram patefecit, ubi praestantissimorum totius Urbis Virorum ita se efferret alacritas, ut non solum

ipsi secum de excellentia decertarent ; sed etiam sua industria perficerent, ut quae foris antea petebantur disciplinae , eae in te , tanquam in suo solo, jam natae , ac genitae viderentur .

Studium autem , quo veterem illam navalem Suorum gloriam retinendam Sibi esse duxerit, breviter commemoremus. Scitis , EE. PP., quam late pateat Lusitanae Dominationis magnitudo : non ea Europae terminis coercetur ; complectitur et nobiles Africae insulas , atque portus ; ad uberrimas Asiae regiones , ditissimasque in ea urbes excurrit ; latissima praeterea , omnique copia rerum abundantia in America regna habet in potestate . Quo vero cursu ad tot , tamque dissitas , immensoque prope Oceani intervallo disjunctas oras adiveris , nisi navibus ; nisi peritis navigandi hominibus affluas ? Quo autem pacto aut naves praesto erunt , aut nautae , nisi in tui regni finibus ad eas artes quam plurimos exerceas , eosque habeas viros , qui rerum usu , qui ingenio , ac doctrina referti praesint adolescentibus illis ,

qui ad spem tantarum regionum cum invisendarum, tum etiam conservandarum erudiuntur? Ad hunc ergo finem MARIAE consilio, et sapientia altera aperta est Olisipone Academia, in qua, incredibilibus ferme praemiis, muneribusque ostentatis, nauticarum, ac maritimarum rerum peritiam, usumque confluentes ex toto Regno juvenes consequerentur. (1) Ad hujusmodi scilicet studium, et curam incitabant Reginam Majorum exempla adaequandi cupidam, currentemque quibusdam quasi stimulis urgebant praeclari, atque ad omnem posteritatem gloriosi in re navali successus Regum illorum, per quos ad fructuosissimas Orientis Indias primus est aditus patefactus; per quos deinde tanta in America facta est Regnorum accessio.

Sed a regio splendore, et majestate, ab illustri, et magnifico Imperii, ac regionum aspectu paulisper oculos removeamus; et Quam adhuc vidimus de pace, et tranquillitate, de ornamentis, et dignitate Regni sui laborantem,

(1) Leg. edit. Nonis Sext. MDCCLXXIX.

videamus Eamdem quam studiose, quamque diligenter sanctissimam Majorum suorum Religionem sit aemulata. Meditabatur Ipsa Secum ab uno Deo tantam potentiam, tot regionum dominationem esse attributam; nec talem dignitatem, atque opes sorti, generi, Suis; sed supremo omnium rerum Domino Se debere, eique imprimis et agendas, et habendas gratias, si felici consiliorum suorum exitu vellet uti, dum viveret; et posteaquam vitae cursum peregisset, promissam justis laborum suorum mercedem cuperet in Coelo reportare. Aderat quotidie Sacris privatis, interdum et publicis; singulis Catholicae Ecclesiae praeceptis religiosissime obtemperabat; Coelites omnes studiosissime venerabatur; solebat eorum Reliquias apud Se habere, easque auro, et gemmis inclusas quam ornatissime: Sed potissimum Servatoris Nostri Matrem Virginem praecipuo non solum Ipsa cultu observabat; verum etiam imperavit, ut ad honorem Ejus in omnibus militum stationibus clara voce illae preces quotidie re-

citarentur, quas eidem Virgini gratissimas esse multis, nec dubiis saepe prodigiis est demonstratum. Praeterea cum sacras omnes, addictasque Regum Regi Aedes quam amplissimas curabat esse, tum praesertim in Patriarchalem totius Regni Sedem tanta fuit munificentia, ut dicere vere posset: *Dilexi*, Domine, *decorem Domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae*.

Nihil autem ad sanctitatem Religionis Ejus prodendam arbitror esse accommodatius, nihil ad pietatem memoriae sempiternae commendandam illustrius, quam recordari MARIAE perturbationem ob sacrilegum illud flagitium, quo capitalis quidam rerum sacrarum hostis ex ipso Altari ausus est Sacrosancti Corporis Christi custodem rapere Pyxidem: Hoc enim Illa facinore audito tantopere commota est, ut Eam primum tacitus stupor oppresserit; deinde ubi Sese collegit, ita apud suos locuta est, ut ex vocis sono, ex oculis, e vultu denique toto intimus pietatis suae sensus emineret. Sacrilegum sce-

lus deprecata, impietatem raptoris execrata; non secus ac si Imperium universum periclitaretur, si Urbs totius Regni caput de victoris exercitus impetu, atque incursu timeret; jubet (natura mitem, ac misericordem animum rerum sacrarum amore superante) jubet, sontem ad supplicium continuo perquiri; iis, qui indicassent grandem indicii mercedem promitti; in regiis aedibus vestes interea mutari; cives in luctu esse; triduanas ad Dei Optimi Maximi Templa fieri supplicationes, ut tam atrox, tamque impium unius latronis furtum totius Urbis lacrymis expiaretur. Quisnam Reginae pietatem non admiretur? Quis egregiam fidem Ejus non suspiciat, et venerationem in Sacrosanctae Eucharistiae Mysterium? Vere MARIAE pietas incredibili studio rerum sacrarum flagrabat! Vere pectus Ejus zelus divinae Domus comedebat!

Cum vero hoc semper MARIA fuisset animo, ut ad sanctissimam Religionem colendam etiam alios suo exemplo incitaret; non solum privatim ea universa Ipsa praestitit, at-

que obivit, propter quae religiosissimarum feminarum pietatem collaudamus, sed etiam splendidissima ante omnium oculos signa, atque indicia ad longissimam posteritatem transmittenda collocavit. Saepe Illa a Deo, quem omnis solatii fontem, atque auctorem confitebatur, multis gemitibus, ac precibus contendebat, ut, quemadmodum Annae illius lacrymas Samuelis ortu fuerat consolatus, sic Sibi daret aliquem, quo generis Sui seriem fulciret, et cujus virtutibus Lusitania Majorum gloriam, et Religionem conservaret. Simul atque voti compos est facta, gaudiis omnibus gestiens, maximisque gratulationibus tantas erga Se Dei misericordias prosecuta imperat, ut media in Urbe Templum magnificentissimum constitueretur, quod a peritissimis totius Regni artificibus exornatum Ipsa perpetuum accepti beneficii monumentum Deo, nomine Sanctissimi Cordis Jesu consecraret. Quo autem amplioribus caerimoniis tantum opus substrueretur Vir Ejus PETRUS III. suis manibus lapidem impri-

mis dicitur ad fundamenta attulisse. Sanctius enim, ac venerabilius illud vulgo videri solet, quod Regum consilio excogitatum, Regibus ipsis praesentibus, et ad aliquam laboris partem descendentibus inchoatur!

Neque hac una re quantum beneficium accepisset satis habuit ostendere. Ostendit etiam, cum gravissimum illud Decretum in extremos quoque latissimi Imperii sui terminos perferendum curavit, quo praeceptum ab Ea est, ut ubique Sanctissimi Cordis Jesu Festus Dies solemnioribus celebraretur religionibus; eoque die cuncta in regiis aedibus ad pompam, laetitiamque nobiliori apparatu splendescerent: (1) Ostendit deinde, cum praestantissimos illos Equitum Ordines in Sanctissimi Cordis Jesu tutelam, ac praesidium tradidit, sacroque Stemmate primarios eorumdem Viros voluit esse insignitos: (2) Ostendit denique constituto sacrarum Virginum Collegio, quae Sanctissimi Cordis Je-

(1) Diar. sacr. Olisip. p. m. 99.

(2) Leg. lat. XIII. Kalend. Jul. MDCCLXXXIX. §. 24., et 25.

su laudes dies, noctesque concinerent. Extat quidem, et extabit multiplex haec, illustris, grataque accepti beneficii memoria: At Filiolum illum, quo MARIA aucta Mater primum est appellata, quo nato Lusitania speravit sibi Brigantiae Stirpis Regem non defuturum, Filiolum, inquam, illum vis Mortis eripuit! Quominus vero tanti doloris acerbitati MARIA succumberet, eadem ipsa affuit Religio, quae identidem Illam moneret, solere Deum, quos amat, non raro corrigere, et castigare; moerentemque Reginam in hanc spem adduceret fore, ut Misericordiarum Deus, qui *neminem nimium permittit affligi*, veluti divisis cum Matre liberis, posteaquam illum Majorem natu Filium Secum ad coeleste Regnum vocaverat, hunc Minorem natu aviti Imperii socium eidem Matri relinqueret, Ejusque deinde sapientia, et justitia Lusitani quam diutissime perfruerentur: Quorum alterum, ut JOANNES VI. servaretur incolumis, jam esse factum, magnopere laetandum est; alterum, ut quam diuturna, prospe-

raque Ejus dominatio sit, crebris a Deo precibus contendimus, et flagitamus.

Ut porro haec omnia, quae Ipsa ad tuendam, augendamque Religionem perfecerat, firma, ac stabilia perdurarent, iis subsidiis est usa, quibus neglectis, omnia solent labefactari. Firmissimum sane Religionis praesidium MARIA esse positum arbitrabatur in eorum hominum coetibus, qui, cum se a vulgi strepitu, atque ab omni ambitione removissent, in solitudinem, et claustra confugerant, ut aliarum rerum sollicitudine vacui, uni Deo sui probandi curam susciperent. Reputabat animo, quanta primi illi tanti consilii Auctores aut morum integritate, aut divitiarum, quarum amore ceteri rapiuntur, despicientia fuissent; quanta alii sacrarum litterarum laude floruissent; eosque et a Summis Pontificibus auctos, probatosque, et a Regibus, ac Principibus ad regnorum decus, atque utilitatem accitos. Hos igitur Illa tanquam invictissimos Religionis Catholicae milites semper habens ex non me-

diocri Regni sui commoditate futuros existimavit. Quapropter eos, qui extra claustra versabantur, reducendos in illa curavit; eorumque vitae rationi per idoneos homines prospexit, ut ita, sub suis quisque signis, ac ducibus, militantes, hos exemplo, illos alloquio, quosdam doctrinae, ac scientiae robore ad Christi partes, fidemque revocarent.

Utinam nunquam nefarii illi homines extitissent, qui cum se, vitamque suam omnium flagitiorum coeno contaminassent, ut repugnantes, ardentesque conscientiae stimulos opprimerent, ipsi primum omnem Religionis sanctitatem contempserunt; deinde etiam alios in eamdem scelerum contagionem sermonis dulcedine, et fabularum illecebris adducere conati sunt! Itaque Sanctissima Femina pertimescens, ne qua ratione hae sordes florentem in Regno suo Catholicae Veritatis, cujus Ipsa studio flagrabat, integritatem inquinarent, non iis contenta praesidiis ad tantam librorum pestem coercendam jam pridem institutis, eam seve-

rioribus consiliis opprimendam, delendamque curavit. (1)

Hactenus de MARIAE I. Religione. Venio nunc ad eam laudem, qua una cetera ornamenta omnia, meo judicio, continentur; quae sola ita per se Principes honestat, ut, illam qui neglexerint, nullam unquam gloriae famam sint assecuti; at contra, qui eam coluerint, pene ad ipsum Deum accessisse existimentur. Loquor de singulari Reginae Benignitate, qua sic excelluit, ut Parentis optimae, et suorum amantissimae merito nomen obtinuerit. Ingens patet Olisipone omnium hominum necessitatibus commune perfugium, quod a primo illo Conditore Misericordiae cognomine est appellatum, ut satis inde ostenderetur, quam ob causam excogitatum esset, atque institutum. Hic enim aegri morborum, et vulnerum medicinam; aetate debiles, omnique re familiari destituti subsidium senectae, atque egestatis; hic peregrini hospitium; virgines do-

(1) Leg. edit. XI. Kal. Jul. MDCCLXXXVII.

tem ; viduae levamen solitudinis nanciscuntur : Hinc divinarum rerum ignaris doctrina ; dubitantibus fidele consilium ; hinc delitescentibus etiam in carcerum squallore solatium, et ad supplicium adductis praesto sunt, qui eos ad mortem aequo animo, et religioso oppetendam sedulo exhortentur. Omnia haec, ut confici, praestarique pro dignitate, ac magnitudine sua possent, singulari Lusitanorum Regum munificentia certatum est. Cum autem MARIA incredibili arderet erga miseros, et calamitosos caritate, incommodaque eorum esse ab Se non aliena putaret; statuit ad ea, quae a Majoribus tam magnifice, clementerque fuerant inventa, omnes benignitatis suae fontes derivare. Quantas vero pecunias hanc in rem contulerit, velim ex Ipsius liberalitate, et animo conjiciatis: ut enim ingenium Ei ad optima quaeque cognoscenda solers, acutumque non deerat, sic ad omnia quae vellet perficienda, ut praesidia suppetebant, ita liberalitas abundabat. Hoc brevissime dicam; posteaquam ad

tantam superiorum Principum largitatem ingentes ab Ipsa additi census, regieque impertitae immunitates accesserunt, nusquam alibi, etiamsi singulas Orbis terrarum fueris urbes perscrutatus, reperiri aliquid, quod cum hujusmodi Lusitanorum Regum sumptibus, ac pietate comparemus.

Oh eximiam, atque inauditam MARIAE clementiam, et caritatem! Tu quidem laboriosam artificum, qui decimam lucri sui partem pensitabant, commiserata fortunam, tali eos onere ad sex annos sublevasti: (1) Te ne quoque infantium puerorum vagitus commoverunt? Tu nimirum ad eorum custodiam invigilabas, Tu eorum vitae, ac saluti consulebas, cum in habendis toto Regno delectibus vetabas, quominus earum mulierum viri, ac liberi conscriberentur, quae temere abjectis illis, desertisque puerulis nutriendis addicerentur! (2)

(1) Leg. lat. XVI. Kalend. Januar. MDCCLXXXIX.
(2) Decret. edit. prid. Kalen. April. MDCCLXXXVII.

Unum etiam ad tam egregiam Reginae benignitatem adjungam dignum profecto, quod in tot, ac tantis Ejusdem laudibus recenseatur. Pertinet enim ad puellarum institutionem, unde commoda pene innumera et in privatas familias, et in omnem rempublicam proficiscuntur. Communi omnium sermone, ac laudibus celebrari audiebat sacras illas Virgines, quas a Divo Salesio nominamus: Dicebantur ab iis educatae puellae domi suae diligentiores, et a luxu, desidiaque remotiores; eaedemque nuptae ferebantur tum viris suis gratiores, tum in liberis instituendis solere esse severiores. Porro quis ignorat ex optima matrumfamilias disciplina optimos prodire liberos, qui parentibus suis solatio, et Patriae, atque adeo universo hominum generi futuri sint ornamento. Harum MARIA utilitatum spe incensa, ampla ad eam rem Domo a fundamentis excitata, eoque censu attributo, ex quo perliberaliter exciperentur, et haberentur, Urbem suam sacris illis Virginibus auxit, ornavitque, ut ea ne

hanc quidem puellarum bene institutarum laudem ceteris urbibus invideret. (1)

Quid vero in Ea nunc, quae tanta erga Deum Religione, tanta in omnes benignitate, et clementia praestitit, quid commemorem, quali obsequio, quantaque observantia fuerit in eos, quos Illi natura arctissimo propinquitatis vinculo adjunxerat? Amoris hujus, et caritatis testis est perpetua obsequii significatio, qua a teneris annis Parentes est prosecuta: Testes sunt lacrymae, quas in Ipsorum funere effudit, habitique amplissimi honores, quibus Eorum exequias cohonestavit. Virum autem suum sic carissimum semper habuit, tantique fecit, ut nunquam ab Ejus consiliis in gravissimarum rerum administratione discesserit.

Oh vere divinam immortalis memoriae PII VI. vocem, cum in Coetu Vestro EE. PP. de MARIA loqueretur tunc primum ad Lusitaniam regendam evecta! Etenim quam Ille spem Se habere de virtutibus Ejus palam professus est,

(1) Leg. lat. III. Kalen. Februar. MDCCLXXXII.

eam omnino impletam esse vere possumus praedicare. Nemo Vestrum ignorat quali semper obsequio erga Apostolicam Sedem fuerit animata; quam vehementer studuerit, ut Catholicae Fidei doctrina in omnibus latissimi Regni sui partibus integra servaretur, et quantum providerit, ut splendor, et lux Christianae Veritatis apud remotissimas etiam gentes, longissimeque a Nobis dissitas effulgeret. Sed MARIA non levem tam praeclare actae vitae fructum retulit cum ex bonorum omnium lamentatione, et querelis, tum ex gravissimo, atque amplissimo Summi Pontificis PII VII. facto, et judicio, qui, Ejus obitus tristissimo accepto nuntio, statuit eodem, quo Reges funere, Illam esse prosequendam; instituitque ut hic honos omnibus deinceps Feminis haberetur, quae regnantes decessissent. Hoc Sapientissimi Pontificis, et aequissimi rerum aestimatoris consilium Vos Iidem, EE. PP., et primo illo funere frequentia Vestra comprobavistis; et hodierna die rursus frequentissimi declaratis, quae Vestra sit de MARIAE

virtutibus existimatio. Oh igitur vere felicem, fortunatamque conditionem Ejus, quae eo pacto vitae cursum peregit, ut sempiternum bonis omnibus reliquerit virtutis suae desiderium, et quae unis artibus pacis merita sit iis regibus aequiparari, quorum virtute Imperii fines propagati, quorum fortitudine exercitus maximi fusi sunt, ac deleti! Illam quidem uberrimis in Coelum laborum suorum fructibus jam potiri confidimus: Nos vero nominis Ejus gloriam, quantum est situm in nobis, ad ultimam posteritatem nitemur propagare; ut excelso, magnoque ingenio Feminae gaudeant se habere egregium, in quod intueantur, maximarum virtutum exemplar; eos contra, quibus muliebris sexus non satis videtur ad difficilia aggredienda idoneus, pudeat se MARIAE animum, et consilium aequare non potuisse.

Jam Tu ex coelestibus istis sedibus, ubi, quae nostra spes est, ex fontibus ipsis hauris caritatem, Lusitaniae Tuae pietatem, et gratam animi benevolentiam aequi bonique facito:

Nunquam illa quidem desinet illustria abs Te relicta clementiae Tuae monumenta commemorare; sapientissimas leges praedicare, atque gravissima decreta laudibus ad Coelum efferre. Te in Regno moderando prudentissimam semper, ac diligentissimam; Te in amore erga se, et benignitate parentem optimam; Te in Fide, ac Religione Catholica servanda, augenda, propagandaque fatebitur, non solum Majorum vestigiis institisse; verum etiam, nisi gloriosissimum cognomentum illud Lusitanorum Regum fidei a Summis Pontificibus impertitum merito Ipsi suo reportassent, Te fuisse dignissimam, Cujus perspectae, explorataeque religioni concederetur. Sed in hisce fere quotidianis virtutum Tuarum laudibus nihil tantopere Lusitania celebrabit, quantopere singularem illam, ac pene incredibilem curam admirabitur, qua semper elaborasti, ut JOANNEM VI. prudentiae, caritatis, ac religionis Tuae specimen, et imitatorem egregium relinqueres: Hoc sospite, atque imperante, non illa tranquillitati

suae timet, non dignitati; seque annona, classibus, armis, ingeniis, artibus, disciplinarum omnium studiis, et quod caput est, veteri Patrum suorum religione clarissimam fore non dubitat.

Tu vero Domine, Cujus Misericordias Filius Ille Tuus ad Nos e Coelo detulit, qui nec turpissimum Crucis supplicium perhorruit, ut ab inferis in Regnum tuum homines vindicaret; si quid adhuc terrestris contagionis in MARIA superest expiandum, id ut Christi Sanguine repurges, et respergas oramus, Eamque nostris adductus incensis officio, ac pietate precibus Tecum in aeternae beatitatis Domum perducas.

FRANCISCUS BURLIAEUS OFFICINATOR

AD COLLEGIUM URBANUM DE PROPAGANDA FIDE

OPUS

NOVIS ADHIBITIS LITTERARUM FORMIS

ABSOLVIT

IDIBUS MAIIS AN. M. DCCC. XX.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici

Candidus Maria Frattini Arch. Philipp. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. Magister et Socius
R. P. M. S. P. A.

THE GETTY CENTER
LIBRARY

